

liter causa principalis effectuum quos operatur, ad quos seipsum movere debet; ergo aliquam, saltem inchoatam, cum illis effectibus proportionem habere debet.

Quaeres 3. *Utrum Deus per solas naturae vires possit ab intellectu creato videri intuitive?*

*Resp. Negat.* Nam. 1. ita definitum est in Concilio Viennensi contra Beguardos. . . . 2. Isaias c. 64. dicit: *Oculus, mentis, non vidit Deus, absque te,* (dante et elevante) *quae praeparasti expectantibus te. . . .* Ratio est, quia visio intuitiva est actus supernaturalis, qui non potest elici per solas naturae vires.

*Objicies:* Deus intuitive videndus est intra latitudinem objecti intellectus specificativi; ergo potest naturaliter illius visiones consequi.

*Resp. Dist. ant.* Est intra latitudinem objecti intellectus specificativi, ipsi improportionati, *conced.* proportionati, *nego.* Licet ergo Deus clare videndus sit intra latitudinem objecti intellectus, quatenus est potentia visiva; tamen cum sit ordinis supernaturalis, ipsi est improportionatus, nec potest illum intuitive videre, nisi aliquo supernaturali auxilio roboretur.

## CAPUT V.

### De visibilitate Dei.

Quaeres 1. *Utrum intellectus creatus possit Deum videre?*

*Resp.* Potest per quoddam auxilium Dei supernaturale: siquidem, Matth. 5. dicitur: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Et Apost. 1. Cor. 13. ait: *Videmus nunc per speculum et in aenigmate, tunc autem, in patria, facie ad faciem,* id est, intuitive. . . . 2. Haec veritas, quae definita est in Concilio Florent.

demonstratur ex Traditione; Nam D. Irenaeus, l. 4. contra haereses, cap. 20 ait: *Participatio Dei, est videre Deum. . . . homines igitur videbunt Deum, ei vivent per visionem, immortales facti, et pertingentes usque ad Deum.* Et D. Clem. Alex. l. 5. strom. sic loquitur: *Qui sunt mundo corde, Deum videbunt, postquam extremam perfectionem attigerint.*

*Objicies 1.* In Scripturis Deus dicitur invisibilis; ergo.

*Resp.* Illi textus intelliguntur, vel de visione corporea, vel de visione comprehensiva, vel de visione per solas naturae vires, vel de visione intuitiva in hac vita, non autem de visione intuitiva in altera vita.

*Objicies 2.* Multi SS. Patres asserunt Dei naturam non posse intuitive videri; ergo.

*Resp. Nego ant.* Nam SS. Patres unice rejiciunt possibilitatem visionis Dei comprehensivae, contra Anomaeos, qui, ut ait Div. Chrysost. Hom. 2. contra Anomaeos, *Stulte non minus quam impie jactabant, se ita Deum nosse, ac Deus seipsum novit.* Apposite ergo ad controversiam, quam versabant, exponi debent haec eorum verba, *videri,* et *non videri,* quae pro varia eorum significatione de Deo dici possunt; constat enim SS. Patres vocabula, *videri,* et *comprehendi,* tanquam synonyma usurpasse.

*Objicies 3.* Inter mentem finitam et Deum infinitum, nulla est proportio; ergo.

*Resp.* Nulla est proportio *entitatis,* quae est similitudo in natura, sed est proportio *habitudinis,* in eo posita, quod res aliqua contineatur intra objectum alicujus potentiae, nam Deus continetur intra verum, quod est objectum intellectus: illa autem proportio habitudinis sufficit, ad Deum, cum supernaturali auxilio, videndum.

Quaeres 2. *Utrum aliquibus puris hominibus in hac vita positus fuerit concessa intuitiva Dei visio?*

*Resp. Negat.* Nam Moysi a Deo postulanti, ut suam

ipsi gloriam ostenderet, Exod. 33. respondit Deus: *Non poteris videre faciem meam, non enim videbit me homo, et vivet.* Ubi nullus, nec Moyses quidem, excipitur. . . . Joan. 6. dicitur: *Omnis qui audivit a patre venit ad me, non quia patrem vidit quisquam, nisi is, qui est a Deo, hic vidit patrem.* Ubi ab illa prop. negativa excipitur solus Christus; atqui unius exceptio firmat regulam quoad alios; ergo.

*Objicies 1.* Deus Exod. 33. dixit Moysi: ostendam tibi omne bonum: atqui per *omne bonum* intellexit divinam naturam; ergo.

*Resp. Nego min.* Nam Deus immediate exclusit intuitivam visionem, dicens: *Faciem autem meam videre non poteris.* Ergo per *tò omne bonum* intellexit duntaxat Deus mirabilia quae per Moysen operaturus erat, ut Israellem a captivitate Aegyptiaca liberaret.

*Inst.* Deus de Moyse, Num. 12. ait: *Os enim ad os loquor ei, et palam, et non per aenigmata et figuras Dominum videt;* ergo intuitive Deum videbat.

*Resp. Dist. conseq.* Intuitive videbat Deum, in persona Angeli Deum repraesentantis, *conc.* in propria natura, *nego.* Videbat ergo Angelum, qui Typum Dei gerebat, ut asserit S. Stephanus, Act. 7.

*Objicies 2.* Apostolus 2. Cor. 12. ait se raptum fuisse ad tertium caelum, et audivisse arcana verba quae non licet homini loqui; ergo, &c.

*Resp. Nego conseq.* Non enim Apost. loquitur de visis, sed de auditis per revelationem sibi factam in extasi, vel in raptu mirabili quam passus fuerat, idque suadent, tum verbum, *audivi*, quo utitur, tum haec verba sequentia, *ne magnitudo revelationum extollat me, &c.*

*Quaeres 3.* *Quinam fuit error Millenariorum?*

*Resp.* In eo consistit, quod docuerint justos post generalem resurrectionem, antequam ad visionem Dei raperentur, cum Christo in terris regnatos, illudque regnum traducturos, vel in ventris ac libidines voluptati-

bus explendis, ut docuit infamis Cerinthus; vel in voluptatibus corporeis, sed licitis, ut quidam tenuerunt: vel in solis animae spiritualibus deliciis, ut docuit Papias Jerosolymitanus Episcopus.

*Quaeres 4.* *Quid de sententia Cerinthi est sentendum?*

*Resp.* Quod sit infamis, ab ipso Christo Matth. 22. damnata: *in resurrectione neque nubent, neque nubentur* et ab Apostol. Rom. 4. *Non est regnum Dei esca et potus.*

*Quaeres 5.* *Quid de sententia Papias dicendum?*

*Resp.* Quod sit fabulosa ac delira; nam si vera esset, 1. Regnum Christi esset terrenum, tamen, Joan. 18. dicit: *Regnum meum non est de hoc mundo. . . .* 2. Regnum Christi mille annorum spatio circumscriptum, quod tamen nullum habiturum esse finem asserit Lucas, cap. 1. *Regni eius non erit finis.*

*Objicies:* D. Joan. in Apocal. cap. 20. docet, quod *Angelus ligavit diabolum per mille annos. . . . ut non amplius seducat gentes donec consummentur mille anni.* Atqui hoc est Millenariorum sententia; ergo.

*Resp. Nego min.* Nam juxta Millenarios, regnum Christi non erit, nisi post generalem corporum resurrectionem; tamen D. Joannes loquitur de regno mille annorum, qui praecedent adventum Anti-christi, qui regnabit tribus annis et dimidio ante corporum resurrectionem; dicit enim: *Et cum consummati fuerint mille anni, solvetur satanas de carcere suo, et exibat, et seducet gentes.* D. Joannes ergo per mille annos designat durationem praesentis Ecclesiae, a primo Christi adventu usque ad Anti-christi tempora, quod tempus dicitur regnum Christi.

*Inst.* Quod D. Joan. docet de regno Christi, non potest intelligi de tempore praesentis Ecclesiae: ergo, &c.

*Prob. ant.* Juxta D. Joan. 1. toto tempore illius re-

gni draco ligabitur: atqui quotidie hominibus insidiatur. 2. Tempus illius regni ad mille annos restringitur; atqui Ecclesia ab annis 1754. durat. 3. Animae decoloratorum, propter testimonium Jesu, pertinebunt ad illud regnum; atqui non sunt amplius de Ecclesia: ergo.

*Resp. Ad 1. dist. ant.* Draco est ligatus, quatenus, per mortem Christi, ejus vires depressae sunt et extenuatae, *conc.* significavit Christus *Joan. 12.* dicens: *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras.* Quatenus insidias hominibus struere amplius non potest, *nego.* Adhuc enim *latrare potest, sollicitare non potest,* ait D. August. *serm. 197. de temp. mordere omnino non potest, nisi volentem.*

*Resp. Ad 2. dist. maj.* Spatio mille annorum, sumptorum indefinite, pro toto illo tempore quod a morte Christi, ad diem usque judicii, vel, ut alii volunt, ad adventum Anti-christi intercedit, *conc.* sumptorum definite, *nego.* Itaque, *mille annos pro annis omnibus hujus saeculi posuit,* ait August. loco cit. *ut perfecto numero notaretur ipsa temporis plenitudo,* quae per millenarium numerum solet explicari in Scriptura; v. g. *Jerem. 32. Ego Dominus faciens misericordiam in milibus his qui diligunt praecepta mea;* id est, in omnibus.

*Resp. Ad 3. nego min.* Cum D. August. ibidem: *Neque enim, ait, piorum animae mortuorum separantur ab Ecclesia quae nunc est regnum Christi. . . regnant cum illo,* per gloriam essentialem, dum isti mille anni, primae resurrectionis, decurrunt.

Quaeres 6. *Utrum animae justorum, quibus nihil superest expiandum, statim post mortem, ad claram Dei visionem admittantur?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. Apost. 1. *Cor. 5* scribit, Sanctos post mortem, habituros esse *domum non manufactam, aeternam in caelis.* Nullum autem tempus interponit inter mortem et possessionem illius aeternae habitationis; ergo, &c. . . 2. Idem asserunt Patres; *Quin-*

*ta securitas,* inquit D. Cyprian. exhortat. ad martyrium, *cladere in momento oculos, quibus homines videbantur et mundus, et aperire eosdem statim, ut Deus videatur et Christus. . . sine damno temporis merces, judice Deo, redditur; ergo statim, et sine damno temporis, justis visione beatifica donabuntur.*

*Objicies 1. D. Joan. Apoc. 6.* dicit, se vidisse sub altare animas interfectorum *propter Verbum Dei;* ergo Martyres nondum sunt in caelis.

*Resp. Nego conseq.* Nam quidquid intellexerit nomine altaris, certum est illas animas in caelo esse; nam infra dicitur: *illis datae sunt singulae stolae albae;* atqui per stolas albas intelligitur aeterna felicitas; ergo.

*Inst.* Illis martyrum animabus postulantibus gloriam, responsum est, *ut requiescerent adhuc modicum, donec compleantur conservi eorum et fratres eorum,* id est, ut finem mundi expectarent; ergo nondum fruuntur beatitudine.

*Resp. Dist. conseq.* Nondum fruuntur beatitudine corporis, *conc.* animae, *nego.* Itaque, animae illae, jam una stola, hoc est, animae felicitate donatae, gloriam corporis postulant, quae dicitur non esse ante finem mundi concedenda.

*Objicies 2.* In ultimo duntaxat judicio, Christus dicet electis: *Possidete paratum vobis regnum,* Matth. 25. Deinde Paterfamilias non solvit denarium diurnum, nisi ad vesperam, *Matth. 20.* id est, nisi ad finem mundi; ergo, &c.

*Rep. Nego conseq.* Uterque enim textus intelligitur de beatitudine completa tum animae, tum corporis, quae electi non donabuntur, nisi in fine mundi, post ultimum judicium.

*Objicies 3. SS. Patres justorum felicitatem ad ultimum usque judicii diem protrahunt:* ergo.

*Resp. Nego ant.* Exceptis enim paucis, qui Papiae adhaeserunt, ut sunt, *Justinus, Irenaeus, Nepos, Lactan-*

tius, Severus Sulpicius, et Augustinus initio sui Sacerdotii, reliqui omnes asseruerunt, animas justorum statim post mortem in caelo regnaturas.

*Inst. 1. D. Aug. Serm. 299.* docet omnes Sanctos post resurrectionem sabbatizatos in terra cum Christo, antequam in caelum admittantur, et sabbatizabunt Sancti et iusti Dei; ergo &c.

*Resp. Fateor D. Aug. initio Sacerdotii in opinione Millenariorum fuisse versatum, ut ipsemet fateatur, l. 20 de civit. Dei c. 9.* Verum brevi postea istam opinionem exiit et constanter exinde docuit, animas statim a morte clara Dei visione potiri; nam in Psalm. 119. ait: *Ibi, in caelesti Jerusalem, omnes iusti et Sancti sunt, qui fruuntur verbo Dei sine lectione, sine litteris; quod enim nobis per paginas scriptum est per faciem Dei, illi cernunt.*

*Inst. 2. D. Bernardus, Serm. 3. de Sanctis, ait: In illam beatissimam, Dei, domum, nec sine nobis intrabunt nec sine corporibus suis.* Ergo nondum vident Deum.

*Resp. Dist. ant.* Non intrabunt sine nobis in domum Dei, cum completa animae et corporis felicitate, *conc.* eum felicitate incompleta animae, *nego ant.* sic se explicat D. Bernard. eodem Serm. dicens: *Acceperunt jam singulas stolas, sed non vestiuntur duplicibus donec vestiamur et nos. . . . stola enim prima, ipsa est, quam diximus, felicitas et requies animarum, secunda vero immortalitas et gloria corporum.* Haec de sana D. Bernardi doctrina nullum reliquunt dubitandi locum.

*Inst. 3. Joan. XXII.* definivit Sanctos, non nisi post extremi iudicii diem, esse Deum visuros; ergo &c.

*Resp. Nego ant.* Licet enim Joan. XXII. tanquam Doctor privatus, in ea fuerit opinione, nihil tamen super ea re definiit, ut constat, 1. Quia id declaravit Clerus Gallicanus, a Rege in castrum Vincennarum coactus . . . . 2. Quia id ipsum testatur Joan. XXII. revocando priorem suam opinionem per speciale diploma datum

Avenione anno ejus Pontificatus ultimo. Quod diploma Benedictus XII. ejus successor promulgavit anno sequenti, in Extravag. quae incipit: *Benedictus Deus.*

Quaeres 7. *Quid sit lumen gloriae?*

*Resp.* Est habitus supernaturalis, quo mens creata, a Deo elevatur ad intuitivam visionem Dei eliciendam.

Quaeres 8. *Utrum lumen gloriae necessarium sit ad Deum intuitive videndum?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. hoc definitum est in Conc. Viennensi contra Beguardos, et Beguinas. . . . 2. Quia cum intuitiva Dei visio sit supernaturalis, intellectus creatus est ex se insufficiens et improporcionatus ad illam eliciendam; ergo ad id indiget elevari per aliquod auxilium supernaturale; atqui illud auxilium est lumen gloriae; ergo, &c. Hinc, *Psal. 35.* dicitur: *In lumine tuo videbimus lumen.*

*Objicies 1.* Omnis facultas potest per se, et sine ullo addito, attingere objectum suum; atqui Deus, utpote summe cognoscibilis, est objectum intellectus creati; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Potest per se attingere objectum suum, sibi proportionatum, *conc.* sibi improporcionatum, *nego.* Deus itaque intuitive videndus, est objectum supernaturale; ergo intellectui creato improporcionatum.

*Objicies 2.* Si lumen gloriae sit principium effectivum visionis beatificae, intellectus erit tantum causa instrumentalis illius visionis; absurdum consequens; ergo.

*Resp. Nego seq. maj.* Nam tum intellectus, tum lumen gloriae simul conjuncta, unicum efficiunt visionis beatificae principium; ergo neutrum suam agendi virtutem recipit ab alio.

Quaeres 9. *Quotuplex sit objectum intuitivae Dei visionis?*

*Resp.* Duplex: *primarium* nempe, quod primo, per se, et immediate videtur, et in quo caetera videntur, *Tom. I.*

talis est Deus. *Et secundarium*, quod in alio videtur, nec confert ad beatitudinem, nisi accidentaliter, ejus modi sunt creaturae.

Quaeres 10. *Quid primario beati videant in Deo?*

*Resp. Vident* 1. essentiam divinam, et omnia attributa, tam absoluta, quam relativa. Non possunt enim videre Deum ut est in se, facie ad faciem, quin videant omnia attributa quae sunt in Deo formaliter et intrinsece.

*Vident* 2. Omnia mysteria fidei; nam vident *facie ad faciem*, quae viderunt in terris *per speculum in aenigmate*.

Quaeres 11. *Utrum essentia divina possit videri sine attributis, vel una persona sine alia?*

*Resp.* Non potest, nequidem de potentia Dei absoluta: nam Christus, *Joan. 14.* ex visione Verbi, concludit visionem Patris: *Philippe, qui videt me, videt et Patrem*: atqui dicit id fieri, eo quod sit unum in essentia: *Quomodo tu dicis, ostende nobis Patrem? non creditis, quia ego in Patre, et Pater in me est?* Ergo visa essentia, videntur omnia quae sunt idem cum illa, quae sunt omnia attributa, et omnes SS. Trinitatis personae.

*Objicies* 1. Essentia Dei virtualiter distinguitur ab attributis et personis; atqui virtualis illa distinctio sufficit ut unum sine alio terminet actum intellectus; ergo, &c.

*Resp. Dist. min.* Ut terminet actum intellectus abstrahentis, *conc.* intuitive videntis, *nego min.* nam intuitiva visio terminatur ad Deum ut est in se a parte rei, non ut per mentem una perfectio abstrahitur ab alia; atqui Deus, utpote simplicissimus, non potest videri ut est in se, quin videatur totus; ergo.

*Inst.* Deus liber est in concedenda sui clara visione; ergo potest clare manifestare essentiam sine attributis.

*Resp. Dist. ant.* Liber est absolute, quatenus potest

se ad videndum exhibere, vel non exhibere, *conc.* liber est hypotetice, *nego ant.* ex hypotesi enim, quod se clare videndum exhibeat, non potest manifestare essentiam, quin manifestet ea quae realiter identificantur cum essentia divina.

*Objicies* 2. Personae divinae a se invicem realiter distinguuntur; ergo, &c.

*Resp. Nego conseq.* Quia personae, licet realiter inter se distinctae, sunt unum et idem cum essentia divina quae a beatis primario videtur; ergo haec videri non potest, quin illae simul cum ea videantur.

*Inst.* Una persona potuit incarnari sine alia; ergo pariter: &c.

*Resp. Nego conseq.* Disparitas est, quod non necesse sit, ut res quae alicui unitur, ei adaequate uniat, hoc est secundum id omne quod est idem cum ipsa; unde Verbum potuit uniri humanitati, quamvis id omne quod est idem cum essentia divina, humanitati conjunctum non fuerit, id est, licet unaquaeque persona propriam suam substantiam humanitati non unierit. Econtra visio objecti non potest esse intuitiva, quin objectum adaequate attingat, hoc est, secundum omnia quae sunt ejusdem cum ipso naturae.

Quaeres 12. *Utrum Beati videant omnes res in aliqua temporis differentia existentes?*

*Resp. Negat.* Quia multa sunt quorum cognitionem Deus illis non tribuit, eo quod ad eorum statum non pertineant; sic teste Christo, *Matth. 24.* non vident ultimi judicii diem; nec vident secreta cordis, nisi ad eos dirigantur.

Quaeres 13. *Utrum aliquas saltem res existentes videant?*

*Resp. Affirm.* Nam vident res ad quas naturalem habent appetitum, alias beatitudo non esset status omnium bonorum aggregatione perfectus. Sic 1. vident rerum, quae sunt in hoc universo, genera et species, et

rationes earum. 2. Vident in Deo omnia singularia quae spectant ad statum in quo, cum in terris degerent, vivere. 3. Vident preces quas viventes ad eos dirigunt, quia hoc spectat communionem quam Christus instituit inter membra Ecclesiae regnantis, militantis, et patientis. 4. Sese invicem vident, suosque parentes et amicos cognoscunt. Ad illa enim omnia naturalem habent appetitum.

Quaeres 14. *Utrum Beati videant omnia possibilialia?*

*Resp. Negat.* Alias comprehenderent Deum, nam omnipotentia est ipse Deus.

*Objicies:* Beati vident omnipotentiam Dei ut est in se; atqui non possunt eam sic videre, nisi omnia possibilialia videant; ergo.

*Resp. Dist. min.* Nisi omnia possibilialia videant confuse, *conc.* distincte et sigillatim, *nego.* Vident itaque omnipotentiam Dei in se, sed non vident sigillatim omnes creaturas ad quas potest sese extendere, alias comprehenderetur, quod menti finitae est impossibile.

Quaeres 15. *In quo Beati vident creaturas quas vident?*

*Resp.* Eas vident in Verbo divino, id est in essentia divina.

Quaeres 16. *Quomodo creaturae quae videntur a Beatis, videantur in Verbo?*

*Resp.* Videntur in Verbo formaliter, et causaliter. Nam 1. creaturas videri in Verbo *formaliter*, est illas videri eadem visione, qua videtur essentia divina, in qua repraesentantur tanquam in speculo; atqui creaturae sic videntur in Verbo, quod est speculum rerum omnium. . . 2. Creaturas videri in Verbo *causaliter*, est eas videri in se ipsis, visione equidem distincta a visione essentiae divinae, sed ab illa causata, ita ut essentiae visio praesupponatur tanquam visionis creaturarum causa, saltem moralis; atqui creaturae sic etiam videntur a Beatis, vel per revelationem ipsis factam,

vel per species ipsis a Deo infusas; ergo, &c. . . Primam cognitionem Div. August. *lib. 4. de Genes. ad litt. c. 24.* vocat *matutinam*, quia clarior est. Secundam vocat *vesperinam*, quia obscurior et imperfectior est.

*Objicies 1.* Creaturae non sunt in Verbo formaliter; ergo non possunt in eo videri formaliter.

*Resp. Nego conseq.* Nam ut aliquid videatur formaliter in Verbo, sufficit ut cum Verbo habeat connexionem talem, ut Verbum sit ratio formalis et motiva illud cognoscendi; atqui creaturae habent talem connexionem cum Verbo, tum ratione causae exemplaris, quippe factae sunt ad normam idearum qua de eis Verbum habuit ab aeterno; tum ratione causae efficientis, quippe omnia per Verbum facta sunt; ergo, &c.

*Objicies 2.* Quod videtur in alio non videtur intuitive sed obscure; atqui repugnat cognitionem Beatorum non esse intuitivam, sed obscuram; ergo &c.

*Resp. Dist. maj.* Non videtur intuitive, sed obscure, si illud aliud rem perfecte non repraesentet, *conc.* si perfecte non repraesentet, *nego.* Porro Verbum, quod est perfecta imago Patris, est etiam perfecta imago rerum omnium; tum possibilium, tum existentium.

*Objicies 2.* Si Beati aliquas creaturas viderent in Verbo tanquam in speculo, viderent omnes creaturas tum possibles, tum existentes; quia Verbum illas omnes repraesentat; falsum ex dictis conseq. ergo &c.

*Resp. Dist. maj.* Si viderent eas tanquam in speculo necessario, *conc.* tanquam in speculo voluntario, *nego.* Porro essentia divina est speculum voluntarium, et consequenter beati eas solas creaturas in ea vident, quas Deus illis, pro beneplacito, vult manifestare, eorum intellectum per specialem concursum adjuvando ad harum, non ad illarum cognitionem.

Quaeres 17. *Utrum intuitiva Dei visio in omnibus beatis sit aequalis?*

*Resp. Negat.* Nam 1. Christus Joan. 14. dicit: *In*

domo Patris mei mansiones multae sunt. Quia, inquit D. Greg. Magn. lib. 35. moral. cap. 4. in illa beatitudinis vita non dispari, unusquisque juxta dispar meritum, locum disparem percipit. . . . 2. Cor. 15. Stella enim dif- fert a stella in claritate. Hinc in Concil. Flor. definitum est, beatos visuros Deum, sicut est, pro meritorum tamen diversitate, alium alio perfectius.

*Objicies 1.* Matth. 20. unus denarius retribuitur omnibus qui in vinea patris-familias operati sunt, licet alii plus, alii minus laboraverint; ergo aequalis omnibus decernitur visio beatifica.

*Resp. Dist. conseq.* Erit aequalis quoad substantiam, conc. quoad gradum et intentionem, nego. Vita aeterna erit aequalis omnibus, sed pro meritorum diversitate fulgebunt, alius magis, alius minus.

*Objicies 2.* Deus est maxime simplex: ergo non potest inaequaliter videri.

*Resp. nego. conseq.* Quia aequalitas aut inaequalitas intuitivae visionis non petuntur ex objecto, sed ex majori vel minori virtute potentiae, quae circa illud objectum versatur; virtus autem illa major vel minor est, prout magis vel minus participat de lumine gloriae, quod est principium intuitivae visionis.

*Objicies 3.* Posita beatitudinis inaequalitate, alter beatus alteri invidet, illiusque majorem felicitatem desiderabit; ergo non erit in statu omnium bonorum aggregatione perfecto.

*Resp. Nego ant.* Nam, ut ait Greg. M. lib. 4. moral. cap. 31. Nullus illius disparitatis damna sentit, quia tantum sibi, quantum perceperit, sufficit, quilibet enim tantum visionis habet, quantum capere potest; unde cum quilibet sit exsaturatus, nullus aliorum perfectionem statum ambit.

Quaeres 18. Undenam repetatur inaequalitas intuitivae visionis.

*Resp.* Repetitur ab inaequalitate luminis gloriae, tan-

quam a causa physica totali, non vero a majori, vel minori perspicacia intellectus. Ratio Div. Thomae 1. p. q. 12 art. 6. est, quia, intellectus plus participans de lumine gloriae, perfectius Deum videbit; plus autem participabit de lumine gloriae, qui plus habet de claritate. Hinc sacra Facultas Parisiensis sequentem damnavit prop. Cujus meliora fuerint naturalia, necessario major erit gratia et gloria.

*Objicies:* Intellectus concurrat ad visionem beatificam; ergo intellectus magis perspicax, ad eam magis concurrat.

*Resp. Dist. ant.* Concurrat per vires supernaturales, a Deo per lumen gloriae acceptas, conc. per vires naturales, nego.

*Inst.* Intellectus ad visionem concurrat ut potentia vitalis; ergo per vires naturales.

*Resp. Dist. ant.* Concurrat ut potentia vitalis elevata, et supernaturalizata, conc. naturalis, nego. Intellectus ergo agit in quantum elevatur per lumen gloriae; et consequenter tota visionis inaequalitas physice fluit ab inaequalitate luminis gloriae, intellectum magis, vel minus elevantis.

## CAPUT VI.

De Dei aeternitate, immensitate, et bonitate.

Quaeres 1. **Q**uid sit aeternitas?

*Resp.* Definitur a Boetio: Interminabilis vitae tota simul et perfecta possessio. . . . Dicitur 1. possessio, quia est firma, quieta et stabilis. . . . Dicitur 2. Tota simul, quia nulla est in aeternitate partium successio. . . . Dicitur 3. Perfecta, quia est immutabilis et independens ab alio. . . . Dicitur 4. Interminabilis vitae, quia nec initium habet, nec finem.

Quaeres 2. Utrum Deus sit aeternus?

*Resp. Affirm.* Nam Deut. 31. Deus dicit: Viro ego

*in aeternum.* Danielis 6. dicitur: *Ipse est Deus vivens, et aeternus in saecula.* Ratio est, quia Deus est omnino immutabilis; ergo aeternus. Aeternitas enim nihil aliud est, quam duratio prorsus immutabilis.

*Objicies:* In duratione Dei reperitur tempus praesens, praeteritum, et futurum; ergo duratio Dei successionem importat; ergo non est aeternus.

*Resp. Dist. ant.* Reperitur praeteritum, praesens, et futurum, eminenter, quatenus nimirum Deus sua aeternitate complectitur omnia tempora, utpote respondens omnibus motibus, qui in diversis temporis partibus fiunt, *conc. ant.* reperitur formaliter, *nego.* Nam successionem non importat.

*Inst.* Aeternitas coextenditur variis temporum spatiis, quae vere successiva sunt; ergo aeternitas est successiva.

*Resp. Dist. ant.* Aeternitas coextenditur eminenter, *conc.* formaliter, *nego.* Porro licet res coextensa formaliter, sit mutabilis, sicut res successiva cui coextenditur; tamen res coextensa eminenter, est immutabilis.

Quaeres 3. *An aeternitas sit ita propria Deo, ut nulli creaturae communicari possit?*

*Resp. Affirm.* Nam omnis creatura habet necessario suae existentiae initium, cum sit necessario facta ex nihilo quod praecessit. Hinc SS. Patres, ex aeternitate Verbi probarunt illius divinitatem adversus Arianos.

*Objicies:* Deus ab aeterno est omnipotens; ergo ab aeterno potuit creare.

*Resp. Dist. conseq.* Potuit ab aeterno creare in tempore, *conc.* in aeternitate, *nego.* Hoc enim implicat, nam omnis creatura supponit nihilum: quod sui creationem praecedat: nihil autem praecedere potest aeternitatem.

Quaeres 4. *Quid sit immensitas, et ubiquitas?*

*Resp. Immensitas,* est illimitata substantiae divinae diffusio, per quam apta est coexistere omnibus rebus

et locis... *Ubiquitas,* est actualis Dei inexistencia in omnibus rebus et locis. Immensitas ergo differt ab ubiquitate, tanquam actus primus ab actu secundo.

Quaeres 5. *Utrum Deus sit immensus?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. Deus Baruch 3. dicitur *Excelsus et immensus.* 2. In Conc. Lateran. IV. definitur: *Firmiter credimus... quod unus solus est verus Deus, aeternus et immensus...* 3. Immensitas est perfectio simpliciter simplex; ergo, &c.

Quaeres 6. *Utrum Deus sit ubique per potentiam?*

*Resp. Affirm.* Nam ex Apostolo 1. Cor. 12 *Deus omnia operatur in omnibus:* ergo.

Quaeres 7. *An Deus sit ubique per praesentiam?*

*Resp. Affirm.* Nam Hebr. 4. dicitur: *Omnia nuda et aperta sunt oculis ejus;* ergo.

Quaeres 8. *An Deus sit ubique per substantiam?*

*Nota.* Tripliciter res potest esse in loco per substantiam 1. *Circumscriptive,* quando res, per diversas sui partes, respondet totidem loci partibus, ita ut ulterius non extendatur. Hic existendi modus coavenit solis corporibus... 2. *Definitive,* quando res tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, ita ut existentia locati non excedat locum. Hic existendi modus coavenit spiritibus finitis... 3. *Repletive,* quando res, tota est in toto loco, et tota in qualibet parte loci, nec a loco definitur, sed est ubique. His notatis,

*Resp. Affirm.* Nam 1. Jerem, 23. Deus dicit: *Nunquid non coelum et terram ego impleo? Et Psalm. 138. Quo ibo a spiritu tuo, et quo a facie tua fugiam? Si ascendero in coelum, tu illic es: si descendero in infernum, ades.* Ergo cum Deus sit in coelo substantialiter, est etiam in aliis locis substantialiter... 2. Deus est ubique per operationem, ut ipsi fatentur Sociniani; ergo est ubique per substantiam: nam in Deo operatio entitative sumpta, idem est cum illius substantia.

*Objicies* 1. Scriptura passim asserit Deum esse in



coelo, non autem in terris, Psal. 113. *Deus autem no-ster in coelo. Coelum coeli Domino, terram autem dedit filiis hominum.*

*Resp. Dist. ant.* Asserit Deum esse in coelo, quoad peculiarem modum manifestandae suae gloriae, *conc.* quasi unicum sit ejus domicilium, *uego.*

*Objicies 2. SS.* Patres passim negant Deum esse in loco: ergo. . . . *Resp. dist.* negant Deum esse in loco circumscriptive, aut definitive, *conc.* repletive, *nego.* Responsio patet ex supra dictis.

*Objicies 3.* Horrendum est dicere, Deum esse in daemonibus, damnatis, in locis foetidissimis; ergo non est ubique. . . . *Resp. nego ant.* Nam purus spiritus incapax est, qui sordibus locorum, ubi est, inquinetur; nec magis iis inquinatur Deus, quam sol dum eandem foeditatis perlustrat radiis suis, et anima dum est in corpore leproso.

*Objicies 4.* Scriptura et SS. PP. passim inuunt, Deum non esse in rebus, nisi per suam actionem, Act. 17. *Non longe est ab unoquoque nostrum, in ipso enim vivimus, movemur, et sumus.* D. Joan. Damasc. lib. 1. *Orthod. fidei, cap. 16. Ibi locus Dei esse asseritur, ubi perspicua ejus operatio existit.*

*Resp. nego ant.* Nam duntaxat praesentiam Dei substantialem ex ejus operatione, quae a substantia non distinguitur, colligunt.

*Inst.* Ex actione ejus, qui potest agere in distans, non potest colligi praesentia substantialis; atqui Deus utpote omnipotens, potest agere in distans: ergo, &c.

*Resp. Nego min.* Repugnat enim aliquam causam agere in distans; quia omnis causa debet effectum contingere, vel per se, vel per virtutem suam: porro virtus Dei, est ipsamet substantia Dei; ergo.

*Quaeres 9. Utrum Deus sit substantialiter extra mundum?*

*Nota.* Dupliciter potest Deus intelligi esse extra

mundum 1. *Positive*, si illic sit tanquam in spatio reali, cui coexistat. 2. *Negative*, si illic existat, sed non extra se, nec cum ulla ad locum coexistentia et connotatione. Itaque:

*Resp. 1.* Deus est extra mundum *negative*, alias coelorum ambitu coarctaretur; atqui non potest coelorum ambitu coarctari, de quo 3. *Reg. 8.* dicitur: *Coelum et coeli coelorum te capere non possunt;* ergo.

*Resp. 2.* Deus non est extra mundum *positive*, quia illic non est tanquam in spatio reali, cui coexistat, sed ibi est in seipso, quomodo jam erat antequam mundus fieret. Unde Poeta canit:

*Dic ubi tunc esset, cum praeter eum nihil esset;  
Tunc ubi nunc, in se: quoniam sibi sufficit ipse.*

*Quaeres 10. Quotuplex distinguatur sanctitas?*

*Resp. Triplex.* Nimirum, *absoluta*, quae est plenitudo essendi rei. *Relativa*, quae est perfectio entis conveniens alteri, ab eoque appetibilis. *Et moralis*, quae est perfecta sanctitas.

*Quaeres 11. Utrum Deus sit bonus triplici illa sanctitate?*

*Resp. Affirm.* Nam 1. est summe perfectus, est enim ens quo nihil melius ac perfectius excogitari potest. . . . 2. Est summe conveniens creaturis, ab eisque appetibilis, cum omnes earum perfectiones sint participes divini illius esse. . . . 3. Est perfecte sanctus, Psalm. 144. *Sanctus est in omnibus operibus suis.*

*Quaeres 12. Utrum Deus sit bonus per essentiam?*

*Resp. Affirm.* Nam ille est bonus per essentiam, qui habet bonitatem vi essentiae suae solius, et independentem a quocumque alio; atqui talis est Deus. Quare Christus, *Lucae 18.* dixit: *Nemo bonus, nisi solus Deus.* Nempe per essentiam, cum tamen creaturae sint bonae per participationem.

*Objicies:* Deus non est summe bonus; ergo non est bonus per essentiam.

*Prob. ant.* Quod est summe bonum, debet se summe diffundere, cum bonum sit sui diffusivum; atqui Deus non se summe diffundit; ergo.

*Resp. Dist. min.* Non se summe diffundit ad intra, *nego.* ad extra, *subdist.* propter conditionem creaturae, *conc.* propter defectum bonitatis infinitae ex parte Dei, *nego.* Summa itaque bonitas non potest, nisi personae divinae, summe communicari, quomodo ad intra communicatur Spiritui Sancto in ejus productione.

*Inst.* Si Deus sit summum in quocumque genere bonum, debet excludere omne malum, tum a se, tum a quocumque alio ente; atqui non excludit; ergo.

*Resp. Dist. maj.* Debet excludere omne malum, si illud summum agat necessario, ut agit ignis, *conc.* si agat libere, ut agit Deus ad extra, *nego.*

## CAPUT VII.

## De intellectu et scientia Dei.

## § I. De existentia, proprietatibus, et divisione scientiae Dei.

Quaeres 1. **U**trum sit scientia in Deo?

*Resp. Affir.* Nam Esther 14 dicitur: *Domine, qui habes omnium scientiam.* Ratio est quia scientia est perfectio simpliciter simplex, quae est melior ipsa quam non ipsa.

*Objicis 1.* Scientia est accidens; ergo... *Resp. dist.* Est accidens in creaturis, *conc.* in Deo, *nego.* Nam in Deo non distinguitur ab essentia.

*Objicis 2.* Scientia proprie dicta est discursiva; atqui cognitio discursiva repugnat Deo.

*Resp. Dist. maj.* Est discursiva, spectata in homine, *conc.* spectata in seipsa, *nego.* Discursus itaque

non pertinet ad essentiam scientiae, est enim tantum ejus defectus et imperfectio; unde excluditur a Deo, qui uno et simplicissimo actu omnia simul pervadit et penetrat.

Quaeres 2. *Qualis sit scientia Dei?*

*Resp. 1.* Est, *infinita*, tum extensive, quia omnia cognoscit: tum intensive, quia ejus cognitio est certissima, evidentissima, et omnium comprehensiva...

2. Est *aeterna*, quia nunquam habuit initium, nunquam fuit interrupta, nunquam finem habitura est... Est *immutabilis*, quia non est quid realiter et entitative distinctum a Deo, cum sit Deus ipse, ut fides docet.

Quaeres 3. *Quotuplex sit in Deo scientia?*

*Resp.* Unica est realiter, quae est ipse Deus; tamen propter multiplicem ordinem quem dicit ad varia objecta ad quae se extendit, multiplex a Theologis cum fundamento assignatur scientiae Dei divisio. Nam

1. *Dividitur* in scientiam *necessariam*, quae versatur circa Deum et res possibles, quae non possunt aliter se habere. Et *liberam*, quae versatur circa creaturas, vel praeteritas, vel existentes, vel aliquando futuras.

2. *Dividitur* in *speculativam*, quae in sui objecti consideratione quiescit; et *practicam*, qua Deus res creatas producit.

3. *Dividitur* in scientiam *simplicis intelligentiae*, qua Deus cognoscit res mere possibles; in scientiam *visionis*, qua Deus cognoscit res, vel existentes, vel aliquando futuras; et in scientiam *futurorum sub conditione*, qua Deus cognoscit res, quae nunquam evenient, sed tamen evenirent, si quaedam conditio poneretur, sive postea ponatur, sive non.

## § II. De scientia simplicis intelligentiae.

Quaeres 1. *Utrum Deus omnes creaturas possibles*